

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0473

0471

0477

0467

0482

0462

0522

0422

0572

0372

0972

Ende

Anfang

459

His visis de ecclesia egressi sumus et calceamenta nostra reassumsimus et ad latus capellae paululum descendimus ad XV passus et speluncam de superpendente petra ingressi sumus. In ea autem prostrati orationes solvimus et indulgentias (†) accepimus. In hoc specu mansit Moyes, quando non habuit Dominus colloquium cum eo, et in eo jejunavit 40 diebus et 40 noctibus, ut legem Domini mereretur accipere. Est autem spelunca lata et magna, non aliud lumen (**46 a**) habens, nisi quod per locum introitus spargitur. Esset autem satis commodosum habitaculum pro contemplativo monacho. Ex opposito speluncae est altitudo quaedam, in qua aedificata est una muschea, ecclesia sarracenica, juxta quam plures Saraceni sedebant, qui etiam ad visitandum locum sanctum ascenderant. Nam Arabes, Aegyptii, Saraceni, Turci, de longinquis mundi partibus ad hunc locum peregrinantur ob reverentiam Moysis. Demtis enim Judaeis de omnibus mundi partibus huc confluunt homines de omni ritu et secta; Judaei soli non possunt ascendere, et si possent, gentiles eos non admitterent, imo Christiani eos secum orantes non sustinerent.

Insuper grandis in monte est cisterna, bonam continens aquam et frigidam atque sanam, de quam tamen aquam habere non potuimus, quia, in quo hauriremus, non habuimus, et puteus valde altus (est.) Dicunt, hanc cisternam esse Moysis, de qua bibit; quod non consonat Scripturae, quae ipsum dicit ibi jejunasse.

Circuivimus et lustravimus totum montis verticem et vidi mus grandes ruinas antiquorum murorum per gyrum, et creditur, ibidem fuisse monasterium, quod quidem totum destratum est praeter ecclesiam, juxta quam semper manent duo fratres de monasterio S. Catharinac.

Habet mons iste hoc singulare, quod rotundus sursum protrudit nec aliis montibus condependet, nec tamen omnibus altior est, sed omnibus singularior et ascensu difficilior. Sunt enim a monasterio in ejus usque summite circiter septem millia graduum, demtis locis, in quibus rectis passibus ascenditur et non per gradus. Ex illo monte est respectus ad regiones procul existentes, ad quas tamen clarior respectus est de monte S. Catharinae, ideo ibidem loquar de illis regionibus.

